Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift

83 v

Negociatorem clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge. ~~Item Cyprianus.~~ Nomine sacerdotis careat qui dei ministros a suo evocat officiis.

F — C. xxi. Q. iii. C. iii.

Neque apud altare dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluerint evocare. Et ideo Victor, cum contra formam nuper in concilio a sacerdotibus datam Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut aliqua deprecatio nomine eius frequentetur in ecclesia, ut sacerdotum decretum religiose et necessarie factum servetur a nobis.

D. LXXXVII. — S. d. xlvii. Necess.

Nomini quoque sic oportet bene esse propositum, ut inde quidam future dispensationis argumenta sumantur. In dispensatione vero ecclesie hanc regulam observandam noverit, ut nulli cuiuslibet exercitate persone duo simul officia committat, neque secularibus viris res ecclesiasticas gubernandas committat [tradat]. Unde ~~Gregorius omnibus episcopis.~~ Uni persone duo non committantur officia.

Singula ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis singillatim committi iubemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita in ecclesie [multa membra] corpore, secundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud. Neque enim cuiuslibet exercitate uni persone uno tempore duarum rerum officia committenda sunt, quoniam si totum corpus oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia et robur corporis servat et pulchritudinem representat, ita varietas personarum per diversa nichilominus distributa officia et fortitudinem et venustatem sancte dei ecclesie manifestat. Et sicut indecorum est ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. ~~Item ex Anthemio subdiacono.~~ Quilibet episcopus vicedominum et yconomum habeat.

C. xvi. Q. vii. Quoniam in. — C. d. lxxxiii. Episcoporum. — Hinc colligitur post archidiaconi electionem a cuncto clero si episcopus negligens vel differens fuerit fieri canonice posse. — G

Volumus ut fraternitas nostra Paschasium et vicedominum sibi et maiorem domus ordinet, quatenus possit vel hospitalibus supervenientibus vel causis que eveniunt idoneus existere. Si vero neglegentem eum perspicis vel ea que diximus implere differentem, omnis clerus eius adhiberi debet, ut communi consilio ipsi eligant quorum persone ad ea que prediximus valeant ordinari. ~~Item ex concilio Calcedonensi.~~ De eodem.

C. xvi. Q. vii. Quoniam in quibusdam.

Quia in quibusdam ecclesiis sicut ad nos pervenit sine economo episcopi res ecclesiasticas tractant, placuit omnes ecclesias habentes episcopos et economos habere de proprio clero, qui gubernent res ecclesie cum arbitrio sui episcopi, ut non sine testimonio sit gub